Leonardus Crassus Veronensis Guido Illustriss. Duci Vrbini. S. P. D.

CVM semper Dux inuictiss. ob singulares uirtutes & famam tui nominis te colui, & obseruaui, tũ maxime ex quo frater meus tuis auspiciis ĩ Bibienæ obsidione militauit, quicquid enim tunc per te ĩ eum collatum fuit, id autem multum fuisse sæpe memorat benignitatem & humanitatẽ in se tuam referens, id totum ad Crassos omnes pertinere arbitrati sumus, & quod unus tulit, id omnes tibi acceptum ferimus, nec iam ei concedimus, ut magis tuus sit, q̃ nos omnes sumus. Sed fratres mei occasionem expectant causa tua non modo sua omnia, sed uitam etiam exponẽdi. Ego autem, quĩ pro uirili mea, quo nam pacto me tibi aperiam sæpe cogito, cogitaboq;, donec perfecero, nunc in uoti mei spem uenio aliquam. Nam cum sciam tecum non fortunæ bonis plus agi posse, q̃ aquis (ut fertur) cũ mari, solasq; apud te literas & uirtutes posse, literis aditum ad te tanq̃ uadũ tentaui. Venit nuper in manus meas nouum quoddam & admirandum Poliphili opus (id enim nomẽ libro inditũ est) quod ne in tenebris diutius lateret, sed mortalibus mature prodesset, sumptibus meis imprimendum & publicandum curaui. uerum, ne liber iste parente orbatus ueluti pupillus sine tutela, aut patrocinio aliquo esse uideretur te patronum p̃sentem delegimus, in cuius nomen audaculus prodiret, quo, ut ego amoris nunc & obseruantiæ in te meæ ministro & nuncio, sic tu ad studia, & multiplicem doctrinam tuam socio sæpe utereris. tanta est enim in eo nõ modo scientia, sed copia, ut cum hunc uideris, non magis omnes ueterũ libros, q̃ naturæ ipsius occultas res uidisse uidearis. res una in eo miranda est, ꝙ cum nostrati lingua loquatur, non minus ad eum cognoscendum opus sit græca & romana, q̃ tusca & uernacula. Cogitauit enim uir sapientissimus, si ita loqueretur, unã esse uiam, & rationem, qua nullus, quin aliquid disceret ueniam negligentiæ suæ prætendere posset, sed tamen ita se temperauit, ut nisi, qui doctissimus foret in doctrinæ suæ sacrarium penetrare non posset, qui uero non doctus accederet non desperaret tamen. Illud accedit, ꝙ si quæ res natura sua difficiles essent, amœnitate quadã tãq̃ reserato omnis generis florum uiridario oratione suaui declarantur, & proferuntur figurisq; & imaginibus oculis subiectæ patent & referuntur. Non hic res sunt uulgo expositæ & triuiis decãtandæ, sed quæ ex philosophiæ penu deprom ptæ, & musarum fontibus haustæ quadam dicendi nouitate perpolitæ ingeniorum omnium gratiam mereantur. Suscipias igitur princeps humaniss. Poliphilum nostrum, qua doctos fronte soles, & ita suscipias, ut cum animi grati munusculum sit, tui Leonardi Crassi admonitus libentius legas, quod si (ut spero) feceris, & hic nullius censurã formidabit cũ tuã subiuerit, & frequentius ab aliis legetur, qui a te lectus putabitur, & ego ex parte aliqua assecutũ me, quod optauerã sperabo. Vale & Crassos mecum tuos tuis annumera.

Io. Bap, Scythæ carmen ad clarissimum Leonardum Crassum artium ac iuris Pontificii consultum.

Hic mirabilis & nouus libellus
Aequandus ueterum libris auorum,
Quo, quicquid dat in orbe uita toto
Rarum & nobile, fertur ac refertur,
Tantum fert tibi Crasse gratiarum,
Quantum Poliphilo tulit parenti
Vitam poliphilus dedit, dedisti
Vitam tu quoq;, sed necem repellis.
Nam cum conditus in situ iaceret
Lethen iam metuens sibi propinquam,
Das hunc gentibus omnibus legendum,
Nec tu sumptibus, aut tuo labori
Parcis, sed melior parente natum
Proiectum gremio tuo leuasti.
Olim bis genitum ferunt Iyæum.
Sic nunc contigit huic libro. refertq;
Patrem Poliphilus, Iouemq; Crassus

Anonymi elegia Ad Lectorem.

Candide Poliphilum narrantem somnia lector,
Auscultes, summo sõnia missa Polo,
Non operam perdes, non hæc audisse pigebit.
Tam uariis mirum rebus abundat opus.
Si grauis & tetricus contemnis erotica, rerum
Nosce precor seriem tam bene dispositam.
Abnuis: ac saltem stylus & noua lingua nouusque
Sermo grauis, sophia se rogat aspicias.
Id quoque si renuis, geometrica cerne, uetusta
Plurima niliacis disce referta notis.
Hic sunt pyramides thermæ, ingentesque colossi
Ac obeliscorum forma uetusta patet.
Hic diuersa basis fulget uarieque cõlũnæ
Illarumque arcus, zophora, epistylia,
Et capita atque trabes, & cum quadrante coronæ